



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ
propriarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Qvintum

González Téllez, Emanuel

Francofurti Ad Moenum, 1690

Capvt VIII [i.e. VII]. Alexand. III. a Rhemen. Archiepiscopo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74544](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74544)

nomen ejus inter Dei sacerdotes non esse recitandum, sancire videntur, similem Episcopum ejiciendum esse à consortio, & numero ceterorum Episcoporum; nec ejus nomen esse ex diplychis defunctorum cum aliis fideliter, pièque

defunctis recitandum, ut cognoscatur eum ob tantum facinus anathema esse, id est separatum, & ejectum à consortio, & numero aliorum fratrum, & sacerdotum.

CAPUT VII.

^a Ex eodem.

IN eos, qui Catholici non sunt, etiamsi consanguinei fuerint, Episcopi, vel Presbyteri nihil conferant. Denique hoc, quod de Episcopis, & Presbyteris dictum est, debet de reliquis clericis exaudiri.

NOTÆ.

^{1.} ^a **E**X eodem. Ita etiam legitur in prima collectione, sub hoc titulo. cap. 9. & canon hic est 13. Concilii Carthag. 3. in qua Synodo apud Theodorum Balsamon. ordine 25. ita habetur: *Ut Episcopi, & clerici in orthodoxos Christianos nihil conferant, & si sint adhuc cognati, nihil per suarum rerum donationem, ut dictum est, Episcopi, vel clerici in eos conferant. Et in can. 22. Codicis Ecclesie Africanae, apud Iustelum ita legitur: Et ut in eos, qui Catholici Christiani non sunt, etiamsi consanguinei fuerint, per donationem rerum suarum Episcopi vel clerici nihil conferant. Cum enim jure civili attentio in hæreticos aliquid donationis legati, vel institutionis titulo transferri non possit, l. 7. C. Theodos. de heretic. Vbi Theodosius ita statuit: Si quis Manicheus, Manicheæve ex die lata dudum legis, ac primitus à nostris parentibus, in quamlibet personam condito testamento, vel cujuslibet titulo liberalitatis, atque specie donationis transmissit proprias facultates, vel quisquam ex his addita per quamlibet successionis formam collatione ditatus est; quoniam ipsidem sub perpetua juste infamia nota testandi, ac vivendi jure Romano omnem prorsus eripimus facultatem, neque eos relinquenda, aut capiende alicujus hereditatis habere sinimus potestatem, totum sibi nostri viribus imminenti indagatone societur. Quam legem ad Donatistas protrahi voluerint Patres ipsius Concilii Carthag. in can. 93. Synodi Africanae, per hæc verba: Petendum etiam, ut lex, que hereticis, vel*

ex donationibus, vel ex testamentis aliquid capiendi, vel relinquendi denegat facultatem, ab eorum quoque pietate hætenus repetatur, ut eis relinquendi, vel sumendi jus adimat, qui pertinacia furore cecati, in Donatistarum errore perseverare voluerint. Ceterum illis, qui consideratione unitatis, & pacis se corrigere voluerint, absque interdicto hujus legis capiende hereditatis aditus pateat, si adhuc in errore hæretico constituti, aliquid ante donationis, vel hereditatis obvenit his sanè exceptis, qui lite pulsati putaverint ad Catholicos transeundum, quia de talibus credendum est non metu celestis judicii potius quam terreni commodi aviditate unitatem catholicam præcipasse. Unde ad petitionem ipsorum Patrum prædicta Theodosii sanctio repetita fuit ab Honorio in l. 4. C. Theodos. ne sanctum baptisma, in hæc verba: Scientiis, qui iterare baptisma non timuerint, aut qui consentiendo hoc facinus propria hujus societatis permutatione non damnaverint, non solum testandi sibi, verum adipiscendi aliquid sub specie donationis, vel agitorum contrarium in perpetuum copiam denegatam. Quare merito in præfenti canone idem circa Episcopos & clericos statuerunt, aliqua bona donantes, vel relinquentes hæreticis, ac generaliter statuerunt Imperatores circa laicos instituentes hæreticos, vel quid illis donantes; & etiam laicos eo casu puniri, ut Episcopos & Presbyteros, notarunt Zarabel. hic Ricciulus de jure person. capit. 44. numer. 12.

CAPUT VIII.

Alexand. III. ^a Rhemen. Archiepiscopo.

ET cum Christus perfectus Deus, & perfectus sit homo, mandamus, quatenus sub anathemate interdicas, ne quis de cetero audeat dicere, Christum non esse aliquid secundum quod homo: quia sicut Christus verus est Deus, ita verus est homo, ex anima rationali, & humana carne subsistens.

NOTÆ.

^a **R**hemenfi. Ita etiam legitur in prima collectione, sub hoc titulo. cap. 5. & post Concil. Lateran. part. 49. cap. 20. de Metropoli Rhemenfi nonnulla adduxi in cap. 17. de officio Ordin.

COMMENTARIUM.

Jvbetur in præfenti ab Alexandro III. ne quis dicat Christum non esse aliquid, secundum quod homo; hoc est ne dicatur, ut Eutyches putabat, nihil manere vere humanitatis, sed solam divinam naturam, in quam conversa substantialiter fuerit natura humana. Hunc errorem Eutychetis sequuti sunt aliqui Magistri scholæ Parisiensis,

Parifensis, & Rhemensis, afferentes Christum secundum quod homo, esse nihil, id est, nihil esse hominis, live humanitatis in Christo. Immo ipse Petrus Lombardus ejusdem erroris infimulatus fuit, ut notat Coriolan. in *summa Concilior. in Lateran. 3. celebrato anno 1179.* ubi ait ab Alexandro III. præceptum fuisse Willelmo Senonensi Archiepiscopo, ut adfctis suffraganeis suis una cum illis doctrinam hanc abrogaret, in hæc verba: *Cum in nostra olim presentia esses constitutus, tibi vivâ voce injunximus, ut suffraganeis tuis Parisiis tibi adfctis ad abrogationem prava doctrina Petri quondam Parisiensis Episcopi, quâ dicitur, quod Christus secundum quod est homo, non est aliquid, omnimò intendere, & efficacem operam adhiberes. Inde siquidem est, quod fraternitati tuae per Apostolica scripta mandamus, quatenus quod tibi cum præsens esses præcepimus, suffraganeos tuos Parisios convoces, & unâ cum illis & aliis viris religiosiis & prudentibus præscriptam doctrinam studeas penitus abrogare, & à Magistris scolariis ibidem in Theologia studentibus Christum sicut perfectum Deum, sic & perfectum hominem, ac verum hominem ex anima & corpore consistentem præcipias edocere: universis firmiter, & districte injungens, quod doctrinam illam de cætero nequam docere præsumant, sed ipsam penitus detestentur.* Agunt contra hunc errorem PP. antiqui, præsertim in Concilio Chalcedon. ubi ad illud confutandû congregati sunt 630. Episcopi, quibus præfuit acerrimus propugnator sanctus Leo

in *epist. ad Flavianum*: accesseruntque Boëtius, & Gelatius in *operibus de duabus naturis. Vigilus lib. 5. contra Eutyb. Theorianus lib. legat. ad Armenos, Damascenus, ac Ruficus in operibus contra Acephalos, Abucara opusc. 2. & 4.* ac etiam Leontius Byzantinus variis opusculis, quæ extant *tom. 6. Bibliothec. Colon. Theodoretus tribus dialogis, & in speciali opere apud Phocium, cod. 46.* videantur apud eundem Theodoretum in dialogo *Inconfusus Athanasius, Justinus, Epiphanius & plures, quos citat. Item Fulgentius lib. 1. ad Trasimundum, Barbosa in præfenti.* Impugnant etiam prædicum errorem Theologi DD. antiqui cum Magistro *dist. 5. & sequent. Item recentiores cum S. Thoma 3. p. q. 2. art. 1.* ubi speciatim videndi sunt Suarez *disput. 7. sect. 2. Vazquez disput. 14. cap. 1. Franc. Amicus disput. 9. sect. 1. Rodericus Ariaga disput. 19. sect. 1. Cardin. de Lugo disput. 9. sect. 1. Bernal. disput. 14. sect. 1. §. 3. à num. 18. Hurtado disput. 15. sect. 1. Valencia disput. 1. q. 2. punct. 1. F. Joannes à sancto Thoma disput. 4. art. 1. Prudentius tract. 3. disput. 1. dub. 5. sect. 1. Wigers quest. 1. art. 1. num. 2. Gamach. tom. 3. quest. 2. cap. 1. Lorca disput. 12. à num. 4. Adam Tannerus disput. 1. quest. 3. dub. 2. Co. ninch. disput. 7. sect. 1. Martinon. disput. 5. sect. 3. num. 28. Meracius disput. 10. sect. 1. Dionysius Petavius latissime *lib. 1. de incarnat. cap. 14. & iterum tom. 2. de incarnat. lib. 10. cap. 1.**

CAPUT VIII.

Ex Concilio^a Lateran.

Sicut ait Beatus^b Leo, licet ecclesiastica disciplina sacerdotali contenta iudicio, cruentas effugiat ultiones, Catholicorum tamen Principum constitutionibus adjuvatur, ut sape quarant homines salutare remedium, dum corporale super se metuunt supplicium evenire. Ea propter, quia in Gasconia,^d Allegesio, & partibus Tolosanis, & aliis locis ita hæreticorum, quos alii^e Catharos, alii^f Patrinos, alii^g Publicanos, alii aliis nominibus vocant, invaluit damnata perversitas, ut jam non in occulto, sicut aliqui nequitiam suam exercent, sed suum errorem publice manifestent, & ad suum confensum simplices attrahant, & infirmos: eos, & defensores eorum, & receptatores anathemati decernimus subiacere, & sub anathemate prohibemus, ne quis eos in domibus, vel in terra sua tenere, vel fovere, vel negotiationem cum eis exercere præsumat. Si autem in hoc peccato decesserint, non sub nostrorum^g privilegiorum cui libet indulgitorum obtentu, nec sub alia quacunque occasione, aut oblatio fiat pro eis, aut inter Christianos recipiant sepulturam.

NOTÆ.

1. ^a **L**ateranensi.) Generali videlicet sub Alexandro III. celebrato, ubi *cap. 27.* reperitur textus hic, & in prima collectione, *sub hoc tit. c. 6.* pro ut in præfenti transcribitur. De hoc Concilio nonnulla adduxi in *cap. nonnulli 27. de rescript.*
2. ^b **L**eo, Epist. 93. ibi: Merito PP. nostri, sub quorum temporibus hæresis nefanda prorupit, per totum mundum instanter egere, ut impius furor ab universa Ecclesia pelleretur, quando etiam Principes mundi ita hanc sacrilegam amentiam detestati sunt, ut auctorem ejus, ac plerosque discipulos legum publicarum ense prosternerent: videbant enim omnem curam honestatis auferri, omnem conjugiorum copulam solvi, simulque divinum jus, humanumque subverti, si hujusmodi hominibus usquam vivere cum tali professione licuisset, & profecti dum ista distinctio Ecclesiastica lenita.
- D. D. Gonzal. in *Decretal. Tom. V,*

ti, quæ sacerdotali contenta iudicio, cruentas refugit ultiones: severis tamè Christianorû Principû constitutionibus adjuvatur, dū ad spirituale nonnunquã recurrunt remediũ, quitimuerunt corporale supplicium. Facit idem Pontifex relatus à Gratiano in *cap. res humanae 23. q. 5.* Illustrat Chokier *lib. 1. thesauri polit. c. 5. c. Gasconia.*) Gasconia proprie dicta, vulgò Gasconna, terminatur à Garunna fluviò, & Oceano, complectebaturque Episcopatus Vasatensem Aquentem, Audurensem, & Lactorensem: de quâ provincia, & Comitibus Gasconia videndus est Arnaldus Ojenarth. in *notit. Vascon. lib. 2. cap. 8.*

^d **A**llegesio.) Foran legendum esse quis dixerit Aginesio. Aginesium enim provincia est in Gasconia: fines habet ad Orientem Cadurcos, ad Septentrionem Pertocorios, ad Occidentem Guennam, ad Meridiem Armanicos. Complectitur duas diceceses, Aginensem & Condonensem. Sed

Q legem.